



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum XXXIII. Niobe regina in Saxum induratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLVM XXXIII.
Niobe regina in saxum induratur.

6. Metam.

Ethicè.

1. Superbiæ hæret vindicta. 2. Modestia in faventiore fortuna. 3. Niobe exemplum arrogantis feminæ. 4. Liberorum copiâ non superbiendum. 5. Vxorius maritus.

Niobe Tantali filia, uxor Amphionis Thebarum regis, quatuordecim ex eo liberos genuit, septem mares, totidem feminas. Igitur non numero modò prolis, sed generis quoque profapiâ, divitiarum affluentiam, amplitudine regni, formæ præstantiâ supra alias omnes matronas elata, se florentissimam, fortunatissimamque prædicabat; adeò quidem, fortis ut oblita humanæ, ipsam etiam *Latona*, cum liberis suis *Apolline* & *Diana* contumeliosè sperneret, quippe duarum duntaxat prolium matrem, cum ipsa denis & quatuor gnatis superba incederet. Eò demum processit fastus, populum ut Thebanum ab horum Numinum sacris revocare non verita, divinos præ illis honores sibi deferri voluerit, æternam sibi felicitatem, quorumcunque Deorum ingratijs pollicita. Non sustinuit hanc arrogantiam & injuriam *Latona*; querelam ad liberos defert. Hi, ut par erat, cum suo, tum matris contemptu permoti, præsentem vindictam promittunt. Accidit, ut Niobe filij sese in stadio ac palæstra, juvenili more exercerent, quâ equitando, quâ currendo & luctando; cum eos conspicatus Phœbus, ut erat visu, telis, arte jaculandi instructissimus, sagittas ex occulto contorquet, aliùmque post aliùm è fratribus trajicit, fato miserando. Amphion parens simul ac didicit, quo pacto septem filij tristissimum in modum interiissent, vitam & ipse pertæsus, gladio in viscera adactò, invisam lucem abruptit. Quorum omnium acerbissimum interitum, etsi Niobe non vulgari luctu plangeret, ab insita tamen insolentia & animi impotentia nihil remisit; sed in ipso etiam planctu convitia in *Latona* ingerere perstitit. Quâ linguæ intemperantiâ id est consecuta, ut jaculis a *Diana* immisilis, pari ratione filia interemptæ, duplicarent funera ac luctum. Ipsa verò cum tantæ calamitati ferendæ non esset,

Y z

victa

victa magnitudine miseriarum, dolorique succumbens, in saxum est conversa, quod lugentis ac lacrimantis, speciem posteris etiam sæculis referebat. Quidam ei hoc epitaphium scripsit:

Hoc est sepulchrum intus cadaver non habens:
Hoc est cadaver sepulchrum suum non habens,
Sed cadaver idem est, & sepulchrum sibi.

Ethica.

I. (a) Imminet superbiæ à tergo vindicta, etiam in hac fabula. Intolerabilis arrogantia feminae, liberorum multitudine & præstantia inflata spectatur in Niobe, & punitur. Quid tumidius his vocibus?

Sum felix, quis enim neget hoc? felixque manebo,
Hoc quoque quis dubitet? tutam me copia fecit.
Major sum, quam cui possit Fortuna nocere;
Multaque ut eripiat, multò mihi plura relinquet.
Excessere metum mea jam bona.

Quantò rectius Solon: ante obitum, supremæque funera beatum dici ullum mortalium nec debere, nec posse. Vindicavit se Fortuna non uno modo lacessita in Cyro, Cræso, Dario, Zenobia, Cleopatra, aliisque sexcentis, quos ad summum evexit, ut altiore & graviore casu precipitaret. Benè Seneca: Felicitas, cui moderatio deest, diuturna esse non potest. Messalina Claudij Cesaris uxor non antè cogitavit se & feminam, & mortalem esse, quam percussor ad illam ingressus, è medio probrum illud sustulit; Tum primùm, inquit Tacitus, fortunam introspectit suam, sed serò. Quis nescit, superbum esse animal feminam, & si forma, opes, fœcunditas blandiuntur, nullis modestiæ finibus continendum? Minimo contemptu irritatur, & superos ipsos, sicut Niobe, in arma provocat; inferiores despicit, æquales non fert, superioribus invidet. Qualis incessus, cum pavoni instar gemmantem caudæ rotam explicat? Quis gestus euntis, & videri cupientis? Quæ verba sese admirantis & circumspicientis? Junonem tibi objice, de qua, I. Æneid.

Ast ego quæ Divùm incedo regina, Jovisque
Et soror & conjux.

Quid hac Deâ ventosius? quid ei, quam Niobe, similis? cui Deo,
Dæve non movet litem de prerogativa honoris mulier, cui fortuna fa-

(a) Superbia hæret vindictâ.

verit

verit indulgentiâ? Fecit id suo maximo malo Niobe. Sapienter monet Poëta

----- Et felicissima matrum
Dicta foret Niobe, si non sibi visa fuisset.

Et quænam hujus, quamvis reginæ, tamen mulierculæ & superstitionibus devotæ, adversus superos insultatio?

Cladibus, exclamat, Saturnia, pascere nostris,
Pascere, & hanc pestem specta crudelis ab alto.

Ita Julianus ille, nomen infame Cæsarum, à sacris Christianis apostata, missâ cœlitus hasta faucibus, sanguine de vulnere, cava manu hausto, & in aërem sparso, blasphemus exclamavit: *Vicisti Galilæe, vicisti!* & simul impium ac impurum ad Tartara spiritum evomuit. Atque hoc est, pugnare cum Superis, quos vana quoque Gentium religio nunquam impunè contempsit; cùm natura dictante, colendus sit, qualemcunque demum Deum sive ignorantia, sive malitia sibi finxerit.

II. (b) Deinde Niobes è fabula discimus, in rebus prosperis animo nostro moderari, & cùm simus homines, supra homines non tollere cervicem. Exempla moderationis hujus insignia sunt Agathocles Siciliae rex, è filio figuli, qui canabat vasis testaceis, ut meminisset generis, unde oriundus erat. Sic Perses vex Macedoniae, cùm subito irumpentibus Romanis, jam in conspectum venisset hostis, ipse, quamquam regiae majestatis retinentissimus in templum confugit, liberòsque admonuit suos, ut Fortunam, cui tantum liceret, revererentur. Florus lib. 2. c. 12. Ante hunc Philippus Macedo, Alexandri M. parens post Athenienses & Thebanos insigni prælio victos, non tamen in convivio risit; non ludos inter epulas adhibuit; non coronas aut unguenta sumpsit; & quantum in illo fuit, ita vicit, ut victorem nemo sentiret, sed nec Regem se Græciæ, sed Ducem appellari jussit. Atque ita tacitam lætitiâ, & dolorem hostium temperavit, ut neque apud suos exultasse, neque apud victos insultasse videretur. Justinus lib. 9.

III. (c) Et hæc de modestia virorum; non item feminarum, quarum ducem & antesignanam Nioben, denique superbia sua ad ultimam calamitatem adegit, unde Poëta.

Hæc, quantum hæc Niobe, Niobe distabat ab illa,
Quæ modò Latois populum submoverat aris;
Et mediam tulerat gressus resupina per urbem,
Invidiosa suis!

Y 3

Qualis

(b) Modestia virorum in faventiore fortuna. (c) Niobe exemplum arrogantis femina.

Qualis incessus, talis ejusdem fuit oratio, plenissima fastu, cum dixit:
 Numen adhuc sine thure meum est? mihi Tantalus autor,
 Cui licuit soli superiorum tangere mensas.
 Pleiadum soror est genitrix mea: maximus Atlas
 Est avus, æthereum qui fert cervicibus axem.
 Jupiter alter avus, focero quoque glorior illo,
 Me gentes metuunt Phrygiæ, me regia Cadmi
 Sub domina est, fidibusque mei commissa mariti
 Mœnia cum populis, à mœque, viroque reguntur.
 In quamcunque domus adverti lumina partem,
 Immensæ spectantur opes. accedit eodem
 Digna Deâ facies: huc natas adijce septem
 Et totidem juvenes, & mox generosque nurusque

Quot verba, tot folles inflati, & præ tumore rumpendi. Jactat se Niobe à parente *Tantalo*, Deorum conviva: à matre *Taygete*, unâ septem filiarum *Atlantis*: ab avo *Iove*, cujus filius *Tantalus*: ab eodem focero suo, nam ex *Jove* natus *Amphion*: à marito, *Thebarum* rege, scilicet *Amphione*: à diviso cum marito imperio: ab immensis divitijs: à venustate formæ: à numerosa sobole: à futuris connubijs & affinitatibus. Ipsa profectò *Arrogantia* & *Ostentatio* si loquatur, tumentius loqui non possit. Jactabunda hæc lingua in utroque sexu frequens est; sed impotentior in sequiore. Breviter confirmo. Sutori Hispano, & egeno cum jam fata instarent, aderat filius in paternam sortem natus. Is cum rogasset, ecquid sibi decessurus præceptorum relinqueret, jam defecta voce pater, ut, inquit, memineris in majestatem assurgere familiam tuam dignam. Ex eadem gente mulier fuit, vix centonibus satis tecta, tribusque, qui comitabantur liberis, precarium spiritum tristi mendicitate producens. Fortè in Gallorum cœtum inciderat: Et ex his statim vultu spectaculo motus; ego, inquit, ô mulier, hoc te onere ex parte levabo, majorem ex tuis liberis (& is fortè ad decennium pervenerat) mihi trade, hunc levibus, suæque ætati paribus ad serviendum officijs assuetaciam; ubi adoleverit, meo sumptu curaque hoc artificij genere, quod maxime probaverit, imbuetur. Ad hæc mulier, nec Deus siverit, inquit, ô mi homo, quanquam pauperem me vides, ut in tantam humilitatem filium damnem; qui aut tu, aut ego sciamus, in quæ fata sit genitus? aut quàm elaris virtutibus subsidium patriæ paraturus? Satis illi, si ita fata tulerint, inedia extinguatur, quam ad servitutem (sub
 externo

externo præcipuè Domino) egregijs hominibus indignam accedere. Ea quanti spiritus etiam in centonibus! Joannes Barclaius in Icone animorum. cap. 7. Sed vitium hoc non unam gentem inficit; per omnes plagas vagatur. Alicubi in Germania pueri, etiamnum à matre rubentes, tam strenuè imitantur Nioben, ut dicas ejus ubera fuisse; adeò noverunt stirpis suæ ramos omnes, & frondes, & folia enumerare, genealogias recensere; agnationes, cognationes, propinquitates, affinitates velut suum nomen tenere. Nondum didicerunt memoriter Decalogum, cum sciunt avos, abavos, atavos, tritavos; patruos, patruales, confobrinos, avunculos, amitas, materteras; Majorum item suorum officia, munia, magistratus, Principum favores, honores, opes, clientelas, arces, prædia, fundos, veluti docti cunis in ipsis psittaci, sine hæsitacione recitare linguaculi, avitis ceris superbi. Quò denique recidit omnis hæc ostentatio Niobes, eiusque similibus? In cinerem, in pulverem, in breve saxum & cippum sepulcralem, qui fasces, tiaras, titulos, coronas angustâ foveâ claudit; cujus rei symolum est lapidea Niobes statua (natorum tumulo imposita) in quam Niobæa jactantia desijt. Vetustius paradigma ex prima omnium parente habemus, quæ quia Deo voluit esse similis, à sua felicitate excidit, & omnium calamitatum illadem in Orbem invexit. Verè Seneca lib. de brevitate vitæ. O quantum caliginis mentibus humanis objicit magna felicitas! Quàm multi fuissent felices, nisi se tales putassent!

IV? (d) Innuit hæc fabula, ne in liberorum quidem copia multum spei aut fiducia collocandum; cum infinita exempla loquantur, solere fieri, ut exiguo momento copiosa soboles ad lugendam paucitatem redigi, vel penitus aboleri possit. Quid enim usitatus, quàm ut parentes filijs extremum officium impendant, oculosque morientibus compriment inverso naturæ ordine? Filios, inquit Petrarcha Dial. 70. genuisti; disces tuo periculo longas, in brevi vita, curas texere. Sevisti arborem inexhausto percolendam studio, cujus nullas forsitan fruges leges. Filij sunt tibi; si boni, jugis timor: si mali, sempiternus dolor, solamen ambiguum, certa cura. Habes filios, habes cum ijs, unde vivus doleas, mortuus agnoscaris; habes, & unde sapius mori possis. Nescis, quam dolendi materiam gignendo quæsieris, quot lacrimis aditus in tuam domum patefeceris, quantum in te jus mortis, miseriæque præbueris. Expertus hoc Amphion est, & uxor ejus Niobe, quæ, quòd superba duritie nollet Dijs cedere, in lapidem obriguit; mollior tamen vel in sa-

XQ

(d) *Liberorum copia non superbiendum.*

xo facta est, quia quas viva lacrimas fundere sive non potuit, sive noluit, certè in exanimi statua simulavit, monumentum cum uxore Lothi comparandum, nam hæc curiositatis, illa arrogantia pœnas, quas neutra sensit, dedit. Hæc ille. Non est tamen negandum, magnum esse matrimonij fructum, ac decus numerosam prolem, & bona indole præditam. De hac parentum felicitate David psal. 127. Vbi inter alia precum Deum timentis, ideòque beati, hoc etiam recenset: *Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tua. Filij tui sicut novella olivarum in circuitu mense tua. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Quasi diceret: (e) O felicem maritum! ô beatum patrem, cujus uxor erit fecunda, sicut vitis frugifera, quæ sese propagabit per omnia latera domus! & veluti novæ olivarum plantulæ, pulchræ, sempérque virentes, atque in omnem partem ductiles spem faciunt optimæ frugis: ita filij tui erunt pulchri, sani, viribus & ingenio florentes, dociles, morigeri, magnæ spei: qui circa mensam pulchro ordine per ætatis seriem stantes, tuos, tuæque conjugis recreabunt oculos. Equidem maxima ornamenta matronis esse liberos, Valerius Maximus refert lib. 4. c. 4. Cornelia, inquit, Gracchorum mater, cum Campana matrona apud illam hospita, ornamenta sua illo sæculo pulcherrima ostenderet: traxit eam sermone, quousque è schola redirent liberi: *Et hæc, inquit, ornamenta mea sunt.* Rectè verò & sapienter; nam uniones & gemmæ, marium sunt excrementa; generosa & benè morata soboles, tanto pretiosior est partus, quantò eæ, quæ pariunt, Conchylijs sunt Indicis nobiliores. Ejusmodi mater aspiciens liberos suos, meritò potest usurpare verba Apostoli Philipp. 4. *Vos estis gaudium meum, & corona mea.*

V. (f) Non inobservatè transmittendum est, hujus feminae, scilicet, Niobæ, maritum fuisse illum ipsum Amphionem, qui saxa ad ineundam Thebarum urbis structuram cantu pellexit; virum utique dulcissimi eloquij, musicæque peritissimi. Sed quantò ipse lenior suaviorque in tractandis tam conjugis, quam aliorum animis, tantò magis ejus superbiam & supercilium aluit: ita quidem, ut qui in ædificatione Thebana è saxis ad cantum ejus se moventibus, quasi homines reddidit, postea ex hominibus effecerit saxa. Nam quòd Niobe in lapideam sit statuam mutata, quanam fuit alia causa, quam uxoria Amphionis indulgentia, qui hanc Junonem pridem compescere debuerat, neque permittere, ut arreptò in homines imperio, etiam in Divos insolesceret. Hæc ei lenitas quanti constitit! propter uxoris indomitam cervicem, Deorum indigna-

(e) Qua felicitas in numerosa prole. (f) Vxorine marium,

dignationem incurrit; & miser ipse, liberique funestam necem subierunt. Verè Aristophanes; nulla fera minùs expugnabilis quàm femina. Summa ibi contumacia, si cedendum; si verba & fraudes componendæ, summa astutia; si coquenda vindicta, maxima vigilantia. Neque imbecillis tantùm & impar laboribus hic sexus est: sed, si licentia adsit, sævus, ambitiosus, potestatis avidus, omnium rerum libertatem, imò licentiam, si vera dicere volumus, desiderat, inquit Tacitus. Et Poëta in veteri Comœdia.

Malè quod mulier facere incipit, nisi efficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi senio est: ea illi miseriæ miseria;
Si benè facere incipit, eius eam citò odium percipit.

SYMBOLVM XXXIV.

Amphion cantu fidium Thebas urbem ædificat.

Homerus Odysf. µ.

Ethicè.

1. Princeps amabilis. 2. Concordia civium. 3. Cithara, hieroglyphicum boni Principis.

Fuit is Jovis ex Antiopa, Lyci Regis Thebani, filia proles, Thebarum & ipse rex, non scepro magis, quàm plectro potens & clarus. Vxor ei fuit Niobe, mulier superba & imperiosa, quæ cotis instar virtutem & patientiam mariti acuebat, de qua in præcedente Symbolo. Citharam *Amphion* ab ipso Mercurio ejus inventore, accepit; quam, sicut alia instrumenta musica, tanta suavitate pulsavit, ut, cum Thebæ in Bæotia, non satis adversùs finitimos hostes essent instructæ turribus ac propugnaculis, ipse mellito fidium sono saxa quoque commoverit, & ad urbis Thebanæ constructionem attraxerit. Illa quippe dulcissimo modulatu duritiem suam ponere, & velut animata essent, loco se movere; primòque grandiora in fundamentum intrare; deinde paulò minores lapides, leni motione confluere, aliique super alios subsilientes, ultro coëunte junctura, consurgere; demum crescente numero, partim summam in altitudinem sese attollere, partim in propugnacula, ad vim quæcumque repellendam, protuberare cœperunt. Muros septemgemi-

Z

na

xo facta est, quia quas viva lacrimas fundere sive non potuit, sive noluit, certè in exanimi statua simulavit, monumentum cum uxore Lothi comparandum, nam hæc curiositatis, illa arrogantia pœnas, quas neutra sensit, dedit. Hæc ille. Non est tamen negandum, magnum esse matrimonij fructum, ac decus numerosam prolem, & bona indole præditam. De hac parentum felicitate David psal. 127. Vbi inter alia precum Deum timentis, ideòque beati, hoc etiam recenset: *Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tua. Filij tui sicut novella olivarum in circuitu mense tua. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Quasi diceret: (e) O felicem maritum! ô beatum patrem, cujus uxor erit fecunda, sicut vitis frugifera, quæ sese propagabit per omnia latera domus! & veluti novæ olivarum plantulæ, pulchræ, sempérque virentes, atque in omnem partem ductiles spem faciunt optimæ frugis: ita filij tui erunt pulchri, sani, viribus & ingenio florentes, dociles, morigeri, magnæ spei: qui circa mensam pulchro ordine per ætatis seriem stantes, tuos, tuæque conjugis recreabunt oculos. Equidem maxima ornamenta matronis esse liberos, Valerius Maximus refert lib. 4. c. 4. Cornelia, inquit, Gracchorum mater, cum Campana matrona apud illam hospita, ornamenta sua illo sæculo pulcherrima ostenderet: traxit eam sermone, quousque è schola redirent liberi: *Et hæc, inquit, ornamenta mea sunt.* Rectè verò & sapienter; nam uniones & gemmæ, marium sunt excrementa; generosa & benè morata soboles, tanto pretiosior est partus, quantò eæ, quæ pariunt, Conchylijs sunt Indicis nobiliores. Ejusmodi mater aspiciens liberos suos, meritò potest usurpare verba Apostoli Philipp. 4. *Vos estis gaudium meum, & corona mea.*

V. (f) Non inobservatè transmittendum est, hujus feminae, scilicet, Niobæ, maritum fuisse illum ipsum Amphionem, qui saxa ad ineundam Thebarum urbis structuram cantu pellexit; virum utique dulcissimi eloquij, musicæque peritissimi. Sed quantò ipse lenior suaviorque in tractandis tam conjugis, quam aliorum animis, tantò magis ejus superbiam & supercilium aluit: ita quidem, ut qui in ædificatione Thebana è saxis ad cantum ejus se moventibus, quasi homines reddidit, postea ex hominibus effecerit saxa. Nam quòd Niobe in lapideam sit statuam mutata, quanam fuit alia causa, quam uxoria Amphionis indulgentia, qui hanc Junonem pridem compescere debuerat, neque permittere, ut arreptò in homines imperio, etiam in Divos insolesceret. Hæc ei lenitas quanti constitit! propter uxoris indomitam cervicem, Deorum indigna-

(e) Qua felicitas in numerosa prole. (f) Vxorine marium,